



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 57. Cæsaris responsum ad hæc postulata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

§. LVII.

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

Cæsaris responsum ad hæc postulata.

Accepto hoc scripto Ferdinandus Cæsar, ne illorum animos magis alienos, aut exacerbatos redderet, cum pacis conservandæ studiosissimus audiret, ideo pollicitus est, se concordiæ conciliandæ operam daturum, ac Concilium procuraturum, cui ipsi ne intervenire, cum ratione recusare non possent, quem in finem spondit se Tridentum accessurum, aut saltem ea, quæ ere sua forent, curaturum ex oppido œnipontano, quod tribus tantummodo, quatuorve diebus a Tridento distaret, & quo prope diem proficisceretur.

Spond. ad hunc ann. num. 42. Heiss. hist. de l'Empire tom. I. l. 3. c. 5. p. 414.

Verum ipsemet Cæsar ea, quæ promiserat, ægre exequenda prospiciebat, quinimo cujusdam successus, quem tamen omnes haud eventurum credebant, spei, ac fiduciæ inniti videbatur; quapropter magis securam Protestantium ad Ecclesiæ unionem revocandam tentaturus Caroli IX. Regis amicitiam expetebat, junctaque cum eo opera de opportunis Synodi Patres eo inducendi mediis agebat, ut ipsi Ecclesiasticorum mores emendandi negotium aggredierentur, hacque ratione tam Protestantibus, quam Calvinistis prætextum adimerent, quo freti hucusque

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

usque sese a reconciliatione ab eis petita adeo alienos exhibebant: huic itaque consilio feliciter exequendo ambo hi Principes anno sequenti incumbabant.

§. LVIII.

Seditio contra Angliæ Reginam confata, atque ab eadem detecta.

*Cambden in
Annal. Angl.
Es Hlib.*

Interea Elisabetha Regina in Anglia semper summa sollicitudine omnem tempestatem, quæ suo capiti imminabat, eamque inquietam reddebat, a se amoliri nitebatur: edocebatur enim, quod Catholici, ad Religionem suam armis restaurandam, habitis congressibus clandestina consilia agitare molerentur, ut vero hujus rei originem detegeret, præcipuam horum motuum causam esse existimabat Mariam Scotiæ Reginam, cujus juribus in Angliæ Regnum tanquam seditionis obtentu Catholicos uti arbitrabatur: cum autem Harthurem de Polo, ejusque Fratrem, quorum Mater erat quædam Princeps ex Eboracensi stirpe progenita, necnon Cortesceum Equitem eorum Scotorum quamdam in Regno factionem conflare suspicaretur, hos capi, atque in vincula conjici jussit. Interrogantur illi, sed nil aliud ab eis extorqueri poterat, nisi quod quidem ad Guilielmum Ducem